mittens fel suum. Et iterum sapientissimus salomon ait. Quoniam
qui loquitur iniqua non potest latere, nec preteriet illum
corripiens iudicium. In cogitationibus enim impii interrogatio
erit. Sermonum autem illius auditio ad deum perueniet ad
correptionem iniquitatum illius, quia auris zeli audit
omnia et tumultus murmurationum non abscondetur. Hec
enim si complecti uoluissent aperto et sano sensu, ad reprobum sensum minime laberentur. Sed per dei timorem sermonum suorum precauentes custodiam, priorum sanctorum patrum diffinitionem, sine quadam nouitatis mentis presumptione utique conseruarent, quoniam dicit sacrum eloquium. Consilium bonum conseruabit te, et mens bona custodiet te. Non enim de fontibus salutiferis spiritaliter ad acquisitionem eterne uite procedunt tales accusatores et detractiones. Atque ideo competenter nos beatus paulus apostolus premonens ait. Non debemus plus sapere quam oportet sapere sed sapere ad sobrietatem, et diffinitiones pietatis perdurantes. Qui cum hec preterierunt, non tantum ipsi sunt decidentes a corroboratione sua, sed insipientie sue dereliquerunt omnibus memoriam, ut in his in quibus peccauerunt minime latere potuissent. Gloria enim et contumelia in loquela, et in lingua hominis casus illius est. Idoneque conueniens est hec quidem ostensionem reprehensionem illorum nostris auribus inseri, ne ulterius iam talia paciamini, seminantes eis zizania et scandala, si sicut in officiis et dogmatibus uestris mereamini. Igitur erubescant talia, et ab huiusmodi blasphemia se subtrahere festinent si noluerint a sacerdotali nostro collegio segregari, et a totius christiane fidei societate diuelli. Licet namque de his plura, et per necessaria, que in decretis sedis apostolice, et apostolis eorumque successoribus statuta inueniuntur dicere et conscribere possemus, pepercissemus. Tamen melius nobis uisum est ut epistolam oratione claudamus. Dominus omnipotens et unigenitus filius et saluator noster ihesus christus per quem hec uobis tribuat incitamentum